

plivo, textu claro in leg. *Cum in adoptivis* 10, § 1, vers. *Et ideo*, cod. *De adoptionibus*.

(45. Fratres naturales, spurii ac ceteri hujusmodi naturales ex uno patre et diversis matribus provenientes sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. L. *Si spurius*, ff. *Unde cognati*. Et sic communis receptissima doctorum, teste Covarruv. *De matrimo.*, part. II, cap. 8, § 5, num. 26, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 10.

(46. Neque dicti fratres naturales et spurii succedunt fratri legitime procreato vel legitimo. Et nec isti illis. Arg. novella 89, c. 4. Cum enim ex dicta novella filii naturales, etiam legitimi, solum patri, non autem ceteris collateralibus succedant, sequitur evidenter, quod nec isti illis succedere possint, quia hæc successio est reciproca, ut cum aliis recte docet Covarruv., in epitome *De successione ab intestato ad finem*; Reiffenstuel, *loc. citat.*, num. 50, et alii.

(47. Fratres naturales ac spurii, et ceteri hujusmodi collaterales uterini, seu ex eadem matre, succedunt et sibi invicem et collateralibus legitime natis, acsi legitimi nati essent etiam ipsi. *Communis*, textu expresso in l. *Hac parte* 2 et l. *Si spurius* 4, ff. *Unde cognati*.

(48. Collaterales nati ex damnato coitu, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive ex parte patris, sive ex parte matris sint conjuncti. Sic *Communis* doctorum, teste Schneidew. lib. III, t. I, *De certo ordine succedentium*, num. 37, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, sub n. 51, arg. authent. *Ex complexu*, cod. *De incestis et inutilibus nuptiis*, ibi: « Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omni paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre; » ubi, ut vides, adeo odibiles reputantur taliter nati, ut non solum ab omni successione, sed etiam alimentione parentum excludantur, adeoque multo magis a successione collateralium. V. supra sub n. 21.

(49. Deficientibus omnibus consanguineis defuncti, sive descendentes, sive ascendentes, sive collateralibus, tunc nisi adsint in contrarium pacta dotalia aut statuta, seu consuetudines locorum, succedit superstes conjux, excluso fisco. *Communis*, textu expresso in leg. unic., ff. et cod. *Unde vir et uxor*.

(50. Dummodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperitur divortium, textu expresso in cit. l. unic., ff. *Unde vir et uxor*, ibi: « Ut autem hæc honorum successio locum habeat, uxorem esse oportet mortis tempore, sed si divortium secutum sit, . . . hæc successio locum non habet. »

(51. Uxor pauper succedit ab intestato defuncto marito diviti etiam exstantibus liberis, vel aliis consanguineis, non quidem in omnibus bonis, sicuti quando deficient omnes consanguinei, sed in quartam partem

hæreditatis, si non sint plures quam tres liberi seu consanguinei, vel si quatuor aut plures exstant liberi seu consanguinei, in portionem virilem, id est in tantam portionem, quanta uni ex liberis vel consanguineis obtingit, computato tamen in hac portione illo, quod eidem a marito legatum seu relictum est. Authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, novella 57, c. 6, et nov. 117, cap. 5.

(52. Cum hac tamen advertentia, quod si uxor pauper succedat marito unacum liberis, succedit tantum quoad usumfructum sua vita durante, asservata proprietate filiis; si vero succedat marito cum consanguineis collateralibus, succedit etiam quoad proprietatem. Sic citata jura.

(53. Et ad hoc ut uxor pauper sic succedat bonis mariti, debet esse vere pauper, ita ut nec habeat sufficientem dotem, nec alia media unde honeste vivere possit, alias nihil ei deberetur de bonis mariti. Cit. authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, ibi: « Si superstes laboret inopia, » et cit. nov. 53, cap. 6, § 2, ibi: « Nam si aliunde habeat. . . non erit justum gravare filios per successionem. »

(54. Insuper ad hoc ut uxor pauper possit sic marito succedere, requiritur quod tempore mortis mariti nullum fuerit inter eos justum divortium, juxta dicta supra num. 50 per cit. l. unic., ff. *Unde vir et uxor*; et quod nulla in contrarium adsint pacta dotalia aut statuta, seu consuetudines locorum, utpote quæ juri communi derogant. Arg. e. *Cum tanto* 11, De consuetudine, et l. *De quibus* 32, ff. *De legibus*.

(55. Maritum etiam pauperem succedere reciproce cum liberis, aut sanguine junctis uxoris in quartam, vel virilem partem in bonis ipsius præmortuæ divitis uxoris, tenent Schneidew. *loc. cit.*, n. 16; Engel, *loc. cit.*, n. 16; Glossa prim. inauthent. *Præterea*, et ibi, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 58. Doctores communiter, arg. in cit. authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, ubi indistincte id statuitur de conjuge superstite, et novella 53, cap. 6, ubi id expresse sancitur præcisus his verbis: « Si inops, aut vir aut mulier invenitur, et moriens quidem aut vir aut mulier locuples sit, ille vero vel illa superstes pauper existat; » et id etiam inferre videtur identitatis ratio, quia ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio. Leg. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et c. *Inter corporalia*, De translat. episcopi; cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*. Nihilominus dubium movent, ut recte advertit Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 68, novissimæ constitutiones novell. 117, c. 5 in fine, ibi: « Virum enim in talibus casibus quartam secundum priorem nostram legem ex substantia mulieris accipere modis omnibus prohibemus; » quæ verba, ut subjungit dict. Reiffenstuel considerationi legentium, præsertim legistarum, relinquuntur.

(56. Deficientibus consanguineis ultra decimum gradum, et uxore aut viro, succedit

ultimo loco fiscus in omnibus bonis vacantibus defuncti seu defunctæ. Leg. *Scire debet* 1, et l. *Vacantia* 4, cod. *De bonis vacantibus*; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 25; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 59; Engel, *loc. cit.*, num. 17, et alii passim. (57. Ut autem fiscus legitime succedat dictis bonis, debet prius per publicum proclama seu patentes litteras publico in loco affixas vocare omnes, qui in talem hæreditatem jus aliquod se habere existimant, et si intra certum præfixum tempus nullus hæres, seu actor comparuerit, tunc omnia dicta bona hæreditaria, tanquam bona vere vacantia fisco deferuntur; leg. *Si vacantia* 5, cod. *De bonis vacantibus*. * Multa hic addi possent circa tempus, quo quis petere potest possessionem intestatam, sed plus æquo procederet hæc nostra elucubratio; ideo lector hæc videat in titulo ff. *De possessorio edicto*, cui locus semper est ubi consuetudo in contrarium non observatur *.

(58. Limitatur tamen conclusio quoad bona peregrinorum in remotis locis a sua patria decedentium ab intestato, tunc enim si adhibita sufficienti diligentia pro repertiendis eorum hæredibus, nullus hæres ob distantiam locorum reperiri possit, tunc bona apud ipsos reperta non deferuntur fisco nec hospiti, in cujus hospitio peregrini decesserunt, sed ab episcopo loci in pias causas erogari debent, textu expresso in authent. *Omnes peregrini*, cod. *Communia*, De successione, et tenent Pirrhing, *loc. cit.*, num. 25; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 56; Engel, *loc. cit.*, num. 8, et alii communiter.

(59. In bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedunt ab intestato eorum legitimi consanguinei. Glossa in cap. *Sed hoc* 1, de successione ab intestato, verb. *Tradantur*; Abbas, *ibid.*, num. 1; Barbosa, *ibid.*, num. 5; Engel, *loc. cit.*, num. 21; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 61, et alii communiter, arg. cap. *Quicumque* 7, caus. 12, q. 5, cum similibus.

(60. Si clericus consanguineos successione capaces non habeat, in dicta bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedit ecclesia, cui servavit; seu in qua beneficium habuit, excluso fisco episcopali. Abbas, *loc. citat.*, num. 2 et 3; Barbosa, *loc. cit.*, num. 2; Engel, *loc. cit.*, num. 22; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 26; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 62, et communis aliorum, per text. expr. in cap. *Quicumque* 2, caus. 12, q. 3, c. *Quicumque* 7, cap. caus. 12, q. 5, juncto c. *Sed hoc* 1, De successione ab intestato, in cujus sumario sic expresse habetur: « Clericus bona propria dare potest cui vult, sed si decedat intestatus et non habeat consanguineos, succedit ecclesia. »

(61. Si autem clericus intestatus decedens, nec habeat consanguineos successione capaces, nec beneficium habuerit; in dicta sua bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedit

fiscus episcopalis. Abbas, in cap. *Sed hoc* 1, num. 1, et cap. *Sancto concilio* 2, n. 2, De successione ab intestato; Engel, *loc. cit.*, n. 22; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 27; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 63, cum communi aliorum. Et ratio clare liquet a pari; sicuti enim deficientibus consanguineis et uxore laici decedentis intestati, succedit fiscus sæcularis juxta dicta supra num. 56, ita etiam deficientibus consanguineis, et ecclesia clerici sponsa, succedit fiscus ecclesiasticus, cum etiam episcopus suum fisco ac jura episcopalia habeat, ut tradunt Abbas, *loc. cit.*; Engel, *loc. cit.*, num. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 63, et alii communiter cum Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, n. 16, per text. in c. *Si quis contumax* 20, et c. *Si quis deinceps* 22, caus. 17, q. 4, cum similibus.

(62. Episcopus tamen in tali casu non potest sibi ipsi dicta bona appropriare, sed debet ipsa erogare in pias causas. Abbas, in cit. c. *Sed hoc* 1 in fine; De successione ab intestato; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 27, et alii passim; argument. cap. *Relatum* 12, De testament.

(63. In bona vero mere ecclesiastica clericorum, seu acquisita ex beneficiis ecclesiasticis vel intuitu ecclesiæ, succedit collegium clericorum, vel successor in beneficio, si clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem tamen in pios usus fideliter distribuenda. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 27; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 64; Abbas, in cap. *Relatum* 12, De testament., n. 1, et ibi doctores communiter, per text. express. in cit. c. *Relatum*, ibi: « Respondemus quod generaliter bona quælibet per ecclesiam acquisita, eis ecclesiis debent juxta Lateranense concilium post acquirentis obitum remanere; nomine autem ecclesiæ, non episcopus vel successor clericus morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligitur, quæ illarum rerum debet canonicam distributionem et curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut et alia ipsius ecclesiæ in Dei timore dispenset. »

(64. In omnia bona religiosorum professorum, qui de ipsis ante professionem nihil disposuerunt, succedit, velut ab intestato mortuorum morte civili, monasterium seu ordo religiosus, si successione et possessione in communi sit capax; et ratio est quia quidquid acquirit monachus, acquirit suo monasterio. Authent. *Ingressi*, et authent. *Si qua mulier*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis*; authent. *De sanctissimis episcopis*, § *Si qua mulier*, cap. 38, collat. 9, novella 123 et authent. *De monachis*, § *Illud quoque*, cap. 5, novella 5, c. *Statutum* 1, caus. 13, qu. 1, can. *Abbatibus* 16, caus. 18, q. 2, can. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, cap. *In presentia* 8, De probationibus, cum similibus.

(65. Si autem monasterium seu ordo religiosus non sit successione et possessione in communi capax, tunc in talia bona succedunt hæredes illorum ab intestato, per-

inde ac si morte naturali obiissent; cum enim monasterium seu ordo religiosus non sit successionis capax, sequitur quod illa bona immediate devolvantur ad proximos cognatos et hæredes ab intestato, cum nemo alius jus ad illa habeat. *Communis.*

(66. Alia ad rem *Vide* verb. BENEFICIATUS, verb. HÆRES, verb. FILII, verb. PARENTES, verb. REGULARES, verb. TESTAMENTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Accidere nonnunquam solet simul mori eos, qui possunt invicem sibi ab intestato succedere, ex. gr. parentes et filios. Interest vero determinare quis prius mortuus habendus sit, idque ut reguletur successio. (68. Ita autem pro diversitate personarum dijudicandum reor quod ascendentes et descendentes.

(69. Si pater cum filio impubere simul mortuus sit, creditur pater supervixisse. L. 9 in fin. ff. *De reb. dub.*; Frinckelthaus., observ. 52, num. 9 et seq.; Zach., *Quæst. medic. legal.*, 5, tit. 12, n. 14.

(70. Sunt qui tenent, id obtinere, etiamsi filius paululum impubertatem excesserit, cum novissima pubertatis ætas nondum omni imbecillitate exempta sit. (71. Tutius vero est subsistere in terminis a jure præscriptis. Fusar., *De fideicommiss. substit.*, quæst. 416, num. 5.

(72. Num idem procedat si pater et filius impubes in diversis locis perierint, et incertum sit quis prior decesserit? Affirmant Menoch., *Præsumpt.*, lib. vi, præsum. 50, num. 33. Negat vero Donell., in *Commentar.* ad l. 9, § 1, ff. *De reb. dub.* (73. Meo iudicio admitti potest Menochii opinio in his aut similibus casibus, quando ambo eidem quidem periculo expositi, sed separati sunt,

SUCCESSOR IN BENEFICIO ECCLESIASTICO.

An et quando teneatur stare locationi factæ ab antecessore. *Vide* verb. LOCATIO, n. 8 et 9.

An et quando teneatur solvere debita an-

SUFFRAGIA.

SUMMARIUM.

1. Suffragium unde dicatur. — 2. Suffragium dupliciter accipitur et assignatur. — 3. Suffragium, de quo hic est sermo, quid sit? — 4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest et assignatur. — 5. Suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest et assignatur. — 6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi et fideles defuncti in purgatorio existentes. — 7. De fide est, dari inter fideles suffragiorum communicationem. — 8. Unde possunt fideles justis se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis quoad culpam jam dimissis. — 9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. — 10. Hinc pium est nec divinæ justitiæ, aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii. — 11. An laudabilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius securæ

vite suæ transferre in animas purgatorii, vel sibi retinere? — 12. Si quis vivens applicet animabus purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilis invalide applicat. — 13. Contraria tamen opinio est vere probabilis. — 14. Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt pro animabus in purgatorio. — 15. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur. — 16. Communio oblata animabus purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjecti sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii. — 17. Restitutio eorum, quæ defunctus abstulit, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione pœnæ actuæ, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt. — 18. Negligentia hæredum in tali restitutione et adimpletione votorum faciendi non obest ejus animæ in purgatorio existenti. — 19. Multi tamen alii sentiunt contrarium. — 20. An et quomodo prosit de-

cessoris. *Vide* verb. SOLUTIO, a num. 11 ad num. 15. *Vide* etiam verb. MELIORAMENTA, num. 32, 33.

puta si ambo in eodem mari et eodem tempore naufragium patiantur, sed tamen diversis navibus vehantur, vel etiam si urbe universim incensa in diversis ædibus degant, aut diversis quidem periculis, sed eodem tempore affligantur. (74. Alias ubi ambobus in diversis locis constituta, talia pericula non concurrant, prius dicendum erit patrem juxta ordinem mortalitatis naturalem citius esse mortuum. Confer Mascard., *De probat.*, conclus. 1344, n. 8 et 16.

(75. Contra vero si cum filio pubere pariter decedat pater, supervixisse filius creditur. L. 9, § 4, ff. *De reb. dub.*, idque etiamsi in bello pereant. Charond., lib. 1, *Verisimil.*, c. 31, n. 4.

(76. Quod dictum est de patre et filio simul morientibus, locum etiam sibi vindicat quoad patrem et filiam pariter simul morientes. Eeked., in *Commentar. ad titul.*, ff. *De reb. dub.*, n. 4, tum quoad matrem cum filiis aut filialibus decedentem.

(77. Quid autem si femina parturiens unicum partu moriatur, num femina, an partus prior mortuus censebitur? *Vide* distinctiones Barry *De success.*, lib. xvii, tit. 12, n. 24; Peregrin., *De fideicommiss.*, art. 43, n. 26.

(78. Hactenus de ascendentes et descendentes simul morientibus. Quod attinet ad collaterales simul obeuntes, distinguendi pariter essent plures casus. At de fratre et sorore simul morientibus, vide Carpov., part. 1, decis. 19, n. 2 et sequent; de fratribus, l. 18, ff. *De reb. dub.*; de pupillo cum fratre substituto, Mejer, in *Colleg. Argentorat.*, ad lib. xxxiv, tit. 5, thes. 5, n. 7, ab Esbach. ad Carpov., part. iii, c. 17, defin. 13; de duabus sororibus, Fulgos., consil. 22, n. 54 et sequent.; Grat., lib. ii, respons. 6, n. 26.

functis usus cereorum ardentium. — 21. An et quomodo eis prosit aspersio aquæ benedictæ. — 22. An et quomodo eis prosit incensatio thuris. — 23. An et quomodo eis prosit campanarum pulsus. — 24. An et quomodo eis prosit sepultura in loco sacro? — 25. Ut suffragium habeat suum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur, et assignatur. — 26. Item ut suffragium suum sortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis, et assignatur. — 27. Generales et provinciales ordinum regularium

(1. Suffragium dicitur a *suffragando* seu auxiliando. Sic ex S. Thoma, in 4, dist. 45; notat Silvester, in *Summa*, verb. *Suffragium*, n. 1. (2. Suffragium dupliciter accipitur: primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet, et de suffragio sic accepto satis constat ex dictis sub verb. ELECTIO; secundo, pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. (3. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri præbet ad consequendam a Deo pœnæ temporalis remissionem.

(4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest: primo, ex opere operato per sacrificium missæ; secundo, per indulgentias; tertio, ex opere operantis, nempe per proprias operationes bonas ac satisfactorias, ut orationes, jejunia, elemosynæ, et hujusmodi. De suffragio primo modo satis constat sub verb. MISSA; de suffragio secundo modo satis patet sub verb. INDULGENTIA et JUBILEUM; et de suffragio tertio modo instituitur hic discursus.

(5. Unde hujusmodi suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest; primo per modum satisfactionis, prout unus offert pro alio valorem satisfactionis, qui est in operibus bonis, ad satisfaciendum pro pœna temporalis; secundo per modum impetrationis, aut meriti de congruo, prout unus suis precibus, aut orationibus impetrat a Deo, ut alteri concedat auxilium ad resurgendum a culpa, et ad obtinendam remissionem debitæ temporalis pœnæ. Sic in re doctores communiter post S. Thomam in 4, distinct. 45, qu. 2, art. 1.

(6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi, et fideles defuncti in purgatorio existentes; beati enim in paradiso nullis indigent suffragiis; damnati autem in inferno horum sunt penitus incapaces.

(7. Certum igitur de fide est dari inter fideles suffragiorum communicationem, id est communicationem bonorum operum, quibus ipsi fideles se mutuo juvare, ac sibi invicem suffragari possunt, id enim habetur clarissime in Symbolo apostolorum per illa verba *Credo sanctorum communionem*; cujus articuli verus sensus juxta communem catholicorum theologorum est, quod detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos, quibus sibi invi-

possunt extra religionem specialibus suis benefactoribus communicare et applicare omnia bona spiritualia seu suffragia sui ordinis, sive omnium religiosorum sibi subditorum. — 28. Dieta communicatio omnium bonorum operum seu suffragiorum prodest ipsis primo per modum cujusdam meriti de congruo. — 29. Item per modum impetrationis. — 30. Item per modum satisfactionis. — 31. Et tandem prodest illis, quia regulares possunt unica missa per modum suffragii eorum animam liberare a pœnis purgatorii.

cem suffragari possunt; homines enim justis sunt membra unius mystici corporis Ecclesiæ sub uno capite Christo; unde ad *Ephesios* iv comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo sicuti unum membrum sanum alteri præbet auxilium, ita etiam in mystico corpore Ecclesiæ unus homo justus alteri auxilium præstare potest per bona opera; et hoc etiam expresse colligitur ex illo Psalmistæ *Ps. cxviii*, 63, ibi: *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua*, et ex illo ad *Romanos*, xv, 30, ibi: *Obsecro vos, fratres, per Dominum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, et ex illo *Jacobi* v, 16: *Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet oratio justis assidua.*

(8. Unde possunt fideles justis se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, quoad culpam jam dimissis. Communis ac certa inter Catholicos, contra hæreticos; idque expresse docet catechismus S. Pii V, in fine, *De sacramento pœnitentiæ*, ubi sic expresse dicit: « In eo summa Dei bonitas, et clementia maximis laudibus, et gratiarum actionibus prædicanda est; qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit. »

(9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. *Est de fide*, et expresse ex *II Machab.* cap. xii, ibi: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Et hæc veritas definita est in pluribus conciliis, quæ refert Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 23, 1-5, art. 1, n. 7, et expresse in concil. *Trid.* sess. xxv, in decreto de purgatorio, ibi: « Cum Ecclesia catholica Spiritu sancto edocta e sacris literis et antiqua Patrum traditione in sacris conciliis, et novissime in hac Oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. »

(10. Hinc omnino pium esse, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii recte ex Scriptura et PP., et sensu universalis Ecclesiæ ostendit contra aliquos Raynaudus, in *Heter.*, tract. 15, part. ii, sect. 1, punct. 1 et seq., et iterum punct. 10 et 11, ubi contraria argumenta solvit, et sic tenent etiam La Croix, lib. vi, part. ii, num. 1336, Kazenberger in *Supplement.*